

# Kreis Warburg

S. 103

1155.

[1]

B. Bernhard (I.) von B. bekundet, daß die drei Brüder Johann, Rotholf und Athelbert ihr Prädium in Drevere (bei Salzkotten) der Kirche in Willebadesen geschenkt haben; nach der Übergabe sei Streit um den Zehnten entstanden, und um den zu schlichten, habe man die Pacht erhöht, was der Bischof mit seiner Auktorität bekräftigt.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Bernhardus Dei gratia Patherburnensis episcopus. Justicie tenor et rationis ordo deposcit, ut sicut a sanctis patribus accepimus, ita ad conservandam cuique iusticiam suam bone voluntatis studium applicare debeamus. Inde est, quod ea, que iuxta consilium prudentium virorum rationabiliter ordinamus, juxta traditionem et consuetudinem antiquorum patrum per privilegii nostri attestationem posteris nostris adnunciare curavimus. Erant tres fratres Johannes, Rotholfus et Athelbertus, viri bone conversationis et laudabilis testimonii, qui predium suum in Drevere ecclesie de Wilbodessen iusta domini acquisitione et legitime possessionis titulo possidendum contulerunt. Solvebantur autem de eodem predio ad prebendam fratrum maioris ecclesie in Patherburnen ex antiquo pro decima tam annone quam altiliu annuatim III solidi et tres nummi gravis monete. Factum est deinde aliquamdiu post traditionem ecclesie Wilbodesen factam, ut decima super annonam in agro ab hominibus fratrum exigeretur et altera pars iure antiquitatis et divine possessionis titulo se tueretur. Ad decidendam huius controversie litem cum unanimi fratrum consensu in hoc, ut predicta pensio sex nummis annuatim augetur et hoc pactum concorditer adprobatum privilegii auctoritate firmaretur, sicut igitur prescriptum est, preposito Bernhardo, decano Almaro et ceteris fratribus unanimiter consentientibus. Huius pacti tenorem episcopali auctoritate roboravimus viris sapientibus, qui intererant subnotatis, quorum nomina hec sunt: Conradus abbas, Baldewinus abbas, Uffo abbas; Liberi autem: Hereman de Lippia, Liudolfus frater episcopi, Everwin, Tiethmar, Volevin; Ministeriales vero: Liudolt et filius suus Heremannus, Manegolt,

Heinricus frater eius, Vutheroldus filius eius, Hereman de Helmere et filius eius Helmicus, Conrath Stapel, Hartman et Heremannus frater eius, Andreas et Conrath frater eius et alii quam plures. Acta sunt hec anno dominice incarn[ationis] millesimo CLV, Indictione III. regnante Friderico imperatore anno regni eius III., imperii vero II.

Orig. mit aufgedrücktem großen Wachsiegel (in Beutel eingenäht).